

PRÆFATIO.

*Generoso, Candido, Cordatoque Lectori salvere
& bene agere.*

PRodit denuo in Lucem exiguus hic quidem, at lectu dignissimus libellus, siue materiam de qua agit, siue Auctorem, qui eum conscripsit, siue præsentis temporis faciem, qua se mundo literato iterum sistit, respicias. Agit enim de *Differentia inter Cartesianam & aliã in Scholis usitatam Philosophiam*, ut duarum istarum Philosophiarum, quæ præ aliis hoc seculo tanquam Aræ & Foci defenduntur. Multò autem laudabilior est inquisitio in Differentiam Veræ & fucatæ Sapientiæ quàm in differentiam Veri & fictitii auri, cum ad Veram Sapientiam, comparandam, ipso Sapientissimo Philolopho & Rege *Salomone* adhortante, multò plus curæ, quàm ad absconditos quosvis mundi thesauros inveniendos, meritò impendendum sit. Nec ullus hominum, cui Mens sana est in Corpore sano, tam vilis & abjectus est, quin, si modò attendat, semina illa Sapientiæ, quæ DEUS Mentibus nostris ipse iniecit, persentiscere possit. Hincque isti, quibus vel tantilla ingenii alacritas est, desiderium in Sapientia indies proficiendi concipiunt. At sanè multum interest, ut desiderium illud, quo naturaliter ad Sapientiam ferimur, sit quasi instructum filo Ariadnæo, ut in labyrintho isto immenso, quem tanta Philosophorum inter se dissidentium & se mutuò oppugnantium caterva, per disputationes suas intricatas effecit, illam viam invenire possit, qua ad ipsius Veræ Sapientiæ Sedem deducatur. Commodum ergo evenit, quòd hac tempestate Sectarum Philosophicarum multitudo, ad duas solùm, quæ in Vigore adhuc sunt, redacta sit, (Peripateticam scilicet & Cartesianam) ut faciliùs, quæ inter illas est, Differentiam cognoscere possimus. De utraque igitur hac Philosophia Sententiam suam ante viginti & unũ annos jam proposuit & exposuit, Vir solidâ Eruditione & Virtutibus verè Christianis magnus *Jobannes Claubergius* Philosophiæ & Theologiæ in Electorali Brandenburgica Duysburgi Professor celeberrimus. Et quidem hoc factum circa id tempus, quo in Synodis & classibus Juliæ, Cliviæ & Montium consilia agitabantur de

)()(

Carte-